

† A. R. P. Iosephus Strybol.

(*Prov. Belg.*).

Carissimus hic sodalis defunctus inter eos est numerandus, quorum memoria in Congregatione nostra et praesertim in provincia Belgica semper maximi aestimabitur.

P. Strybol natus est in St. Nicolas (Waes) die 5 maii anni 1859. Inventute inter pietatis exercitia et studia tum in domo paterna tum in minore oppidi patrii seminario peracta die 17 iulii 1879 in domo nostra Trudonopolitana novitiatum ingressus est ibique 15 augusti 1880 votis religiosis se obstrinxit, quo facto in studentatum Wittemiensem missus est, ubi die 17 octobris ab amicissimo nobis Mons. Laurent, episcopo olim Lucemburgensi, tonsura clericali insignitus est.



Sed valetudo eius, quae iam in novitiatu imbecilla fuerat, sensim ita debilitata est, ut finito secundo studiorum anno die 30 iunii 1882 a superioribus Trudonopolim remitteretur, ubi vires suas reficeret. Annum ibi egit semper male affectus et tempus, quod studiis tribuere non poterat, in oratione transigens. Interea Pulchriugi nova studiorum domus condita erat, quam aeris praesertim salubris laude florere dicebant. Superiores itaque aegrotum inter sodales se recipere posse sperantes novi studentatus experimentum facere constituerunt. At cum nebulae autumnales pectori eius insedissent, celeriter viribus destituebatur, quare in Leodiensem domum missus est, unde post octo menses tempore meliore Pulchrungi revertit moribundus; de vita enim iam nihil sperari posse videbatur. Sed ut in morte solacio quasi frueretur sacerdotio, ad sacras ordinationes admissus est. Ita factum est, ut tribus continuis diebus 12, 13 et 14 octobris 1884 in sacello monialium SS. Redemptoris Mechlinii ad ordines maiores promoveretur, per maiorem caerimoniarum partem in sella sedens, ita ut omnes cum maerore expectarent neomystam eodem vespere moriturum nec iam altare Domini ascensurum esse.

Sed res plane alium effectum sortita est. Altero die 15 octobris P. Strybol summo mane de lecto surgens in eodem monialium Mechliniensium sacello cum sua defatigatione, sed cum omnium, qui aderant, aedificatione piissime primam suam missam dixit. Et quem ne primam quidem missam dicere posse putaverant, non solum per quadraginta annos vitam sacerdotalem acturus, sed Congregationi multa et magna servitia praestaturus erat.

Post primitias suas oblatas Trudonopolim missus est, ubi magistri novitiorum socium ageret, et duobus annis post praefectum clericorum, qui ibi in studia humaniora tum incumbabant, iuaret. Et iam tum spiritu orationis, perpetuo recollectionis habitu, loquela supra naturam elevata adulescentes illos tanta sui aemulatione inluit, ut nonnulli, quae ab eo audissent, in commentariis suis colligerent, tamquam ab homine sancto prolata essent.

Anno 1890 P. Ernesto Dubois in munere praefecti studentium Pulchriugi successit, ubi bonae spei sobolem Congregationis invenit. Inter plantas illas, quas tum paterno affectu fovere potuit, Servus Dei *Alfridus Pampalon* Canadensis erat, in cuius processu beatificationis ordinario Leodiensi a. 1908 testimonium de eius virtutibus heroicis ipse proferre potuit. Alius quidem iuvenis, Fr. Petrus Minnaers, cum praefectum iterum morbo laborantem videret, vitam suam Deo pro pretiosa eius vita obtulit. Et mirum! Deo oblationem acceptante, cum iuvenis die 22 augusti 1892 placidus et laetus animam Deo reddidisset, praefectus melius se valere sensit et ad munia maiora servatus est. Post tres praefecturae annos viribus eum iterum deficientibus munere liberatus est et per quinque deinde annos in domibus Trudonopolitana, Rollariensi et Bruxellensi S. M. Magdalenae placidus quievit. Anno vero 1898 huius domus Bruxellensis Rector constitutus est. Programma quoddam totius suae in muneribus agendi rationis tum in commentarios suos inseruit, cum die nominationis suae scriberet: *Pro ipsis me ipsum sanctifico*. Tribus annis post, die 26 aprilis 1901 creatus est Superior provinciae Belgicae.

In sexenni hoc provincialatu Congregatio nostra in Belgio magnos fecit progressus, cum candidati in novitiatum plurimi confluerent. Missiones, exercitia spiritualia, sermones omnis generis permulti habiti sunt, et Dei benedictio manifesta hos labores prosequi videbatur. Labores apostolici in missionibus exteris multum aucti sunt. Praesertim missio Congensis, quae a Provinciali P. Van Aertselaer inchoata erat, magnos in lucrandis animabus progressus fecit et a. 1903 in vice-provinciam constituta est. Hac in re P. Strybol eodem anno magna consolatione usus est, quod, cum in itinere Neapolitano in ecclesia B. M. V. de Mercede ampullam cum sanguine S. P. N. Alphonsi in manibus haberet ipsumque precatus esset, ut, si Congensem missionem probaret, aliquod signum sibi daret, S. Patris sanguis, qui subfuscus fuerat et ampullae solo haerens, subito totus rubuit et liquefactus est. Sed alio etiam oculos in extremas orbis partes Provincialis convertit. P. Van Aertselaer enim aliquos e suis Patribus in Canadam miserat, ut inter Polonos, quorum ibi 50.000 erant, in vinea Domini laborarent. Hanc missionem P. Strybol promovit, et cum ibidem in regione Manitobana multi Ruteni seu Ukraini inventi essent, nec linguae difficultate nec diverso ritu retineri passus est, quin etiam eis auxilia ferret.

Ipse itaque a Sede Apostolica obtinuit, ut Patres aliqui ad ritum graecorutenum transire possent, rem exempli in Congregatione antea numquam auditi, sed quae meriti magni est. P. Strybol, cum iam provincialatu exutus esset, valde gavisus est, quod haec missio rutena etiam in patriam gentis Galiciam traducta est, ita ut in dies magis florescat.

Bruxellis antiqua domus S. Mariae Magdalenae eo tempore deserenda erat, sed eius loco ad portas urbis in Jette nova et magna ecclesia cum collegio constructa est eidem S. Paenitenti dedicata. Cuius aedificium et instructio cum ad finem perduceretur, P. Strybol provincialatu liberatus et Jettensis Rector creatus est, ut (ita Rñus P. Raus ad eum scripsit) paterno simul et materno amore suo, ardenti apostolicoque salutis animarum studio novam illam communitatem ita efformaret, ut exempli instar esset et parva quaedam paradisus. Quinque deinde annos P. Strybol operam dedit, ut haec sibi mandata ad effectum perduceret.

Iussu Rñi P. Generalis Rector Jettensis pecuniam colligere monialesque aptas SS. Redemptoris in monasteriis belgicis quaerere coepit, quibus venerabile illud primum SS. Redemptoris monasterium Scalense temporis iniquitate fatiscens instauraretur. Et multum gavisus est, cum primum e Belgio agmen in Italiam deducere posset.

Cum a. 1912 rectoratum deposuisset, et ad S. Ioseph Bruxellos translatus esset, otio ad unionem suam cum Deo in dies artius stringendam usus est. In orando assiduus omnibus quotidie missis assistere solitus est, quotquot in ecclesia celebrabantur; praeter exercitia a regula praescripta integras etiam horas orans egit, neque quibusquam incommodis valetudinis suae se retineri passus est, quin actibus communibus praescriptis adesset. Paucis etiam ante mortem horis meditationi matutinae cum communitate interfuit.

In missionibus quidem valetudinis suae imbecillae causa P. Strybol laborare non potuit. Exercitiis tantum puellarum et religiosarum saepius praefuit, et quamquam viribus deficientibus eloquentiae vigore uti non poterat, verborum tamen gravitate et fidei pondere ita homo Dei prodebat, ut saepissime iterum ad exercitia requireretur. Ultimis vero vitae annis verba iam non fecit nisi ad sodales consociationis *a Iesu Victima* nuncupatae, quae in domo nostra Bruxellensi erecta est. Sed in confessionali magnam horum annorum partem insumpsit. Patientissima enim benignitate eius simul cum longa experientia plurimi omnium ordinum homines ad eius confessionale trahebantur, ita ut ab anno 1912 Bruxellis quaternos singulis hebdomadibus dies in confessionibus audiendis exigeret.

Die 4 decembris 1919 iterum Rectoris onus ad S. Ioseph Bruxellis eius humeris impositum est, quod obedientiae spiritu prompto animo in se suscepit. In hoc munere autem viribus semper debilibus consumptis mors tandem eum occupavit.

Spiritus, quo animatus erat P. Strybol, amor Congregationis et caritas erga confratres dici potest. Inde intima illa erga S. P. Alphonsum pietas, cuius vitam doctrinamque apprime scrutatus erat, quemque suis semper exemplar et doctorem vitae religiosae proponere solitus est. Inde etiam est, quod, quidquid Congregationis Sanctos, sodales singulos laboresque apostolicos attingebat, maxima attentione prosecutus est. Quisquis ad portam cellulae eius accessit, benignissime excipiebatur, nec sine amoris signis discedebat. Labores apostolicos ita semper ordinare satagit, ut missionariorum studia incitaret, simul vero labores ad vires aptaret, nec animi remissionem ac levamen concedere omitteret.

Inter pietatis exercitia et apostolicae caritatis in confessionali documenta ab anno 1921 aegrotans principio anni 1923 finem adesse sensit. Die patroni sui S. Ioseph festo s. sacramentis munitus est, sed nihilo minus usque ad diem 20 aprilis quotidie summo mane iam ante communitatis meditationem ad altare accessit. Die 21 aprilis vero iam surgere non potuit, et hora 8 cum dimidia confratribus sacras preces recitantibus animam Deo reddidit utramque rem assecutus, quam saepe se optare dixerat: ut sabbato moreretur in medio fratrum.

Die 24 aprilis comitante Ellmō Nuntio Apostolico Mons. Nicotra cum sacerdotibus religiosisque permultis et innumera fidelium turba elatus est. Eius autem memoria numquam apud nos evanescet. R. i. p.!